

aliud interieret, non proprie contrariarentur, quia non ita splenderet in eis mutua oppositio, seu debellatio positiva, nisi essent maxime sibi vicina. Et ad hoc explicandum ponuntur illæ particulae, *quæ sub eodem genere maxime distant.* Nec ab hac explicatione excluduntur ea, quæ ratione ultimarum differentiarum opponuntur, si simul opponantur ratione subalternarum: ut liquet in temperantia, & intemperantia, quæ prius opponuntur contrariè ratione differentie subalternæ vitij, & virtutis, in quibus præcipue est attendendum genus proximum, etsi subalternum, quod immediate determinatur per prædictas differentias subalternas, & à quibus per se primò incipit contrarietas.

Secunda conditio est, quòd versentur circa idem obiectum, ut si subiectum sanitatis est animal, idem etiam sit ægritudinis: quia in diversis subiectis nulla exerceretur oppositio. Hac autem identitas subiecti debet esse formalis, & non tantum materialis: nam sicut in propositionibus non datur oppositio proprie talis, nisi ubi est affirmatio, & negatio eiusdem, de eodem, & secundum idem, hoc est secundum eandem rationem formalem; ita nequit dari propria contrarietas nisi opposita versentur circa idem subiectum tam materialiter, quam formaliter. Et ad hanc conditionem explicandam affertur in definitione illa particula, *& eidem subiecto insunt;* quæ debet accipi in sensu formali, sicut communiter accipiuntur verba definitionis.

Tertia, & vitiosa est, quòd mutuo se expellant: si enim non mutuo expellerentur, nullam haberent inter se repugnantiam, & ad proinde nec contrarietatem. Hac autem expulsio non ita accipienda est, ut ad ingressum vnius aliud statim omnino expellatur, ut liquet in introductione caloris, qui non statim expellit totam frigiditatem, sed paulatim & per gradus. Quæ expulsio potest ita exponi, ut ad ingressum caloris ut vnum, expellatur frigiditas ut octo; & ad ingressum caloris ut duo, expellatur frigiditas ut septem, & sic de reliquis. Unde oppositio hæc non est caloris ut vnum ad frigiditatem ut vnum, nec ut duo ad frigiditatem ut duo, sed primi ad octavum, & sic de cæteris, proportionem ascensus, & descensus vnius, & alterius servata.

Ex quo liquet, quòd in contrarijs, quæ ratione intensiois mutuo se expellunt, dari debet latitudo, & terminus determinatus, ultra quem intendi non possit. Et hac ratione summus gradus caloris est ut octo, & summus gradus frigiditatis etiam est ut octo. Et ratio brevis, & perspicua est: quia si non haberent gradum determinatum intensiois, difficile posset designari gradus caloris, cum quo minimus gradus, frigiditatis incompossibilis est. Oppositum contingit in contrarijs, quæ talia sunt ratione essentia, ut liquet in motu sursum, & motu deorsum lapidis; qui proprie contrarij sunt, quamvis in nullo

gradu possint coexistere. Liqueat etiam ex dictis, quòd licet vera contrarietas asserat ex natura sua expulsionem; non tamen omnis vera expulsio eo ipso est propria contrarietas, quia potest ex alijs oppositionibus provenire. Igitur præsens controversia procedit de contrarietate propria, directa, & stricta, prout continetur in præfata definitione hucusque explanata: quamvis non nihil dicemus de contrarietate indirecta, sub qua volumus comprehendere omnem illam oppositionem, cui deficit aliqua ex prædictis conditionibus, etsi aliquas habeat. Quibus scitis & prænotatis:

Circa hanc difficultatem tres reperiuntur sententia. Prima asserit, vitia, quæ tendunt contra rationem naturalem & virtutes acquisitas, esse strictè & directè contraria. Ita communiter Theologi; contra quos nulla refertur sententia. Secunda docet, vitia opponi contrariè virtutibus infusis. Ita plures, & gravissimi Theologi. Sed non sine aliquo discrimine inter eos: siquidem aliqui ut Zumel, absque vlla distinctione inter vitia, affirmant prædictam contrarietatem. Alij limitant ad vitia contra supernaturalia, ut Montes, Arauxo, & Gregor. Martinez. Tertia defendit, nullum vitium proprie, & strictè contrariari virtutibus perse infusis. Ita N. Salmant. in præf. disp. 1.

§. I.

Prima assertio quoad vitia ex motivo naturali.

Dicendum est primò, vitia directè recedentia à motivo virtutis acquisitæ, & formaliter contrariari virtutibus acquisitis. Hanc conclusionem perpetuò docent Philosophi, & D. Thom. Et probatur ratione: nam inter huiusmodi vitia, & virtutes acquisitas salvantur omnes conditiones rigorosæ & directæ contrarietatis: ergo opponuntur contrarietate propria & directæ. Antecedens probatur discurrendo per singulas: nam imprimis continentur sub eodem genere, non solum remoto, scilicet qualitatis, sed etiam sub genere proximo habitus moralis. Deinde vitium, & virtus constituuntur tanquam per proprias differentias tam subalternas, quam infimas per rationes boni, & mali, quæ maxime distant: quia non minus distat intemperantia à temperantia, quam calor à frigore. Rursus recipiuntur in eadem potentia naturali appetitus, & voluntatis. Tandem, ad ingressum virtutis expellitur vitium, & e converso, ita ut inveniri nequeant simul in gradibus intensis & perfectis: ergo habent inter se conditiones omnes rigorosæ & directæ contrarietatis.

Nota tamen, ut pronuncietur à varietate opinionum circa constitutum peccati commissiois abstinemus, quòd plures ex nostris hanc contrarietatem directam, & rigorosam sustinent, adhuc

adhuc concessio, quòd vitium formaliter in ratione vitij constituitur per privationem: ad quod sufficit, inquit, quòd vitium, prout substratum formale privationis, tendat perse ad actum, prout formaliter est substratum malitiæ. Quod an veritatem habeat, infra examinandum est.

3. Obijcies primò: Unum vitium opponitur sepe duabus virtutibus, ut avaritia iustitiæ, & liberalitati; & vna virtus duobus vitijs, ut liberalitas prodigalitati, & avaritiæ: ergo non sunt proprie contraria. Patet consequentia: nam *unum tantum est contrarium*, ut docet Philos. 10. Metaphys. text. 17.

Secundò: Plura dantur vitia nullam habentia virtutem contrariam: ergo vitium, & virtus non opponuntur contrarietate directæ. Patet consequentia: nam, dato vno contrario, necesse est, quòd detur & aliud, ut docet Philos. 10. Metaph. Antecedens verò probatur nonnullis exemplis: nam invecundia est vitium, & verecundia ei opposita non est virtus, ut docet D. Thom. 2. 2. quæst. 144. art. 1. Item, incontinentia pugnat cum continentia, & hæc non est virtus, ut docet Ang. Doct. 2. 2. quæst. 155. art. 1. Tandem, cæcitas, & hebetudo mentis sunt vitia, quæ oriuntur ex gula, & luxuria, ut docet D. Gregor. lib. 1. Moral. cap. 31. quæ tamen non opponuntur virtutibus, sed donis, ut tradit Magister Ang. 2. 2. quæst. 157. art. 2.

Tertiò: Nam inter virtutem, & vitium non datur maxima distantia, quæ est propria contrariorum: siquidem veratur inter duo vitia extrema, ut liberalitas inter prodigalitatem, & avaritiam; & medium non maxime distat ab extremo: ergo non sunt proprie contraria.

4. Ad primam objectionem respondetur, quòd dictum Philosophi debet intelligi de contrario adæquato: nam non inveniuntur, quòd vni vitio duplex virtus inadæquate contrarietur, ex quibus conficitur vnicum contrarium; nec vni virtuti duplex vitium: quia vna virtus secundum diversas rationes inadæquate potest duplici vitio contrariari; & vnum vitium duplici virtuti. Et ita accidit in illis duobus exemplis: nam avaritia tunc opponitur iustitiæ, quando inclinatur in actum accipiendi, & retinendi rem alienam: opponitur etiam liberalitati, quando inclinatur ad non dandum, ubi oportet, quòd oportet, &c. Idemque contingit in liberalitate, quæ est virtus opposita avaritiæ, & prodigalitati: quia hæc inclinatur non solum ad dandum quando oportet, sed etiam ad retinendum, quando non oportet dare: & secundum primum respectum opponitur avaritiæ; & secundum posteriorem prodigalitati. Quòd ulterius potest explicari in magno, & parvo oppositis æquali.

5. Ad secundam respondetur, ex ea tantum inferri, quòd dentur aliqua vitia nullam habentia virtutem rigorosè contrariam ex defectu ali-

cuius conditionis ex assignatis, ut contingit in exemplis oppositis: nam habitus virtuosus vitijs prædictis oppositi non continentur cum illis sub eodem genere proximo, eo quòd non sunt rigorosæ virtutes. Cum quo stat, quòd detur oppositio contraria indirecta propter incompossibilitatem, & mutuum exclusionem. Et hoc non est contra nostram assertionem, quæ indiffinita est, & potest procedere de vitijs, & virtutibus oppositis, quæ proprie virtutes, & vitia sunt. ¶ Adde primò, quòd ad propriam, & strictam contrarietatem sufficit, quòd continentur sub eodem genere remoto, v. g. sub genere habitus (sub quo etiam continentur illæ semivirtutes) & quòd inclinent directè in actus rigorosè contrarios, licet prædicti habitus virtuosus non pertingant ad perfectam rationem virtutis: quia magis requiritur ad bonum, quam ad malum. ¶ Adde secundò, quòd adhuc illa vitia, saltem in sua origine, habent virtutem proprie contrariam: nam invecundia oritur ex nimia luxuria; cui opponitur contrariè virtus temperantiæ. Pro quo videndus est D. Thom. 2. 2. quæst. 144. art. 1. ad 4.

6. Ad tertiam respondetur, quòd virtus moralis, licet materialiter sit medium inter duo vitia extrema, formaliter tamen non est medium, sicut nec vitia sunt extrema. Nam obiectum virtutis formaliter ut talis est bonum rationi consonum; e contra obiectum vitij est bonum rationi dissonum. Unde omnia vitia, cum convenient in hoc quòd est tendere in bonum rationi dissonum, & similiter omnes virtutes convenient in hoc quòd est tendere in obiectum rationi consonum, reverà vitia non sunt extrema, licet nomine tenus videantur: sed duo vitia, quæ materialiter sunt duo extrema, constituunt formaliter vnum extremum, prout tendunt in obiectum rationi dissonum; & aliud extremum est virtus tendens in obiectum rationi consonum. Videatur omnino D. Thom. supra quæst. 64. art. 1. ad 1. ubi satis perspicue tradit hanc solutionem, Videatur etiam à nobis dicta tract. præc. dub. 4. per totum.

Aliud argumentum præoccupavimus tract. præc. disp. 1. num. 13. ex natura vitij desumptum: recolatur ibi.

§. II.

Secunda assertio quoad vitia ex motivo supernaturali.

Dicendum est secundò, vitia contra motivum supernaturale procedentia non opponi contrarietate propria & directæ virtutibus infusis. Et probatur ratione fundamentali: nam inter huiusmodi vitia, & virtutes infusæ deficit duplex conditio necessariè requisita ad contrarietatem directam & rigorosam

fam, prout illam ab indirecta distinguimus in presenti: ergo non opponuntur contrariè & directè. Antecedens probatur: nam conditiones inter alias requisitæ ad rigorosam & directam contrarietatem sunt, quod contraria eidem subiecto formaliter insint, & quod mutuo se expellant; sed hæc duplex conditio deficit inter huiusmodi vitia, & virtutes infusas: ergo deficit duplex conditio requisita ad contrarietatem directam & rigorosam. Minor quoad primam partem probatur: nam virtus persè infusa recipitur in potentia obedientiali; & vitium ei oppositum in potentia naturali; sed utraque potentia est formaliter diversa, vt pronunc supponimus ex dictis tract. 2. disp. 1. dub. 2. ergo non recipiuntur in eodem subiecto formali. Quæ probatio etiam vrget pro actibus, & pro quolibet dono supernaturali.

Quoad secundam partem probatur eadem minor: nam formæ inter se composibiles etiam in gradibus intensis non mutuo se expellant; sed vitia huiusmodi, & virtutes infusæ adhuc in gradibus intensis sunt inter se composibilia: ergo non mutuo se expellant. Minor probatur ex D. Thom. sup. quest. 65. art. 3. ad 2. vbi ait: *Habitus moralis virtutum infusarum patitur interdum difficultatem in operando propter aliquas dispositiones contrarias ex precedentibus actibus relictas: quæ quidem difficultas non ita accidit in virtutibus moralibus acquisitis: quia per exercitium actuum, quo acquiritur, tolluntur etiam contrariæ dispositiones.* Idem tradit 3. part. quest. 86. art. 5. in corpore: vbi, si rectè perpendatur, clarè docet, quod post iustificacionem remanet habitus peccati ex iteratis actibus causati, quamvis subeant nomine tenus denominationem *dispositionis*: ergo sunt composibilia inter se.

8 Huius rationi, & eius probationi quoad primam partem respondet Godoy in hac 1. 2. disp. 15. num. 34. ad contrarietatem directam sufficere, quod contraria respiciant idem subiectum secundum rem, & non requiri, quod respiciant idem subiectum secundum rationem. Instaturque in gratia, & peccato, quæ opponuntur contrariè, licet peccatum recipiatur in potentia naturali, & gratia in obedientiali.

Secundæ probationi responderi potest ex doctrina eiusdem Godoy à num. 5. & aliorum, quod ad directam contrarietatem inter huiusmodi vitia, & virtutes satis est, quod ad infusionem istarum media iustificacione expellantur vitia sub ratione, aut modo *habituum*, quamvis remaneant sub modo, & ratione *dispositionum*.

Contra evasionem adhibitam primæ probationi stat primò, quod in diffinitione oppositionis, prout ad propositionem spectat, dicitur, quod est *affirmatio, & negatio eiusdem, de eodem, & secundum idem*. Ex quo deducimus, non esse

inter se oppositas propositiones, quæ enuntiantur de eodem subiecto secundum diversas rationes formales, quia non sunt de eodem subiecto formaliter: ergo ad contrarietatem directam & rigorosam non sufficit, quod contraria respiciant idem subiectum secundum rem, sed etiam requiritur, quod sit idem formaliter, & secundum rationem. ¶ Secundo stat contra prædictam evasionem, quod eodem modo accipi debet subiectum contrariorum, ac subiectum accidentium quoad composibilitatem inter se, quando sunt tantum numero distincta; sed accidentia tantum numero distincta nullam incompossibilitatem, aut oppositionem dicunt inter se, quando respiciunt subiectum idem secundum rem, & diversum formaliter, vt rectè tradunt N. Complut. abbrev. in Physica, disp. 21. num. 9. & de Generat. disp. 14. num. 52. ergo neque dici possunt proprie contraria, quæ respiciunt idem subiectum secundum rem, sed diversum formaliter.

Tertiò stat, quod vitium contra motivum naturale, iuxta doctrinam Godoy, & nostram, non opponitur directè contrariè virtuti infusæ: sed sufficiens ratio ad excludendam contrarietatem directam inter se est, quod subiectum sit diversum formaliter: nam recursus ad eandem materiam secundum rem, & diversam formaliter, vel non est ad rem, vel est ingens confirmatio pro subiecto: ergo neque vitium contra motivum supernaturale opponitur directè contrariè virtuti infusæ, propter diversitatem subiecti formali. Præsertim, quia inter huiusmodi vitia, & virtutes persè infusas negat Godoy num. 23. contrarietatem strictam, ad quam excludendam nulla aprior ratio potest excogitari præter contentas in utraque probatione nostræ rationis; sed sub contrarietate directè tantum comprehendimus in presenti contrarietatem strictam, excludentes ab ea omnem aliam, quæ ad hanc quovis titulo non pertingit, vt notavimus in limine dubij: ergo. ¶ Exemplum gratiæ, & peccati, quod munitur Godoy, non est ad rem: quia vel loquitur de peccato actuali; vel de habituali? Si de actuali, habent subiecta non solum formaliter diversa, sed realiter: siquidem peccatum actuale est in potentia, & gratia in anima. Si de habituali, solum datur oppositio privativa: quia hoc adequatè consistit in privacione ipsius gratiæ.

9 Contra evasionem datam secundæ probationi stat imprimò, quod Godoy num. 19. concedit, vitia post iustificacionem non transire verè in dispositiones, sed proprie & quoad substantiam esse habitus. Et meritò: tum quia non est ratio, cur adveniente gratia, & virtutibus infusis, non destruantur dispositiones, cum sint ex se facile mobiles, secus verò habitus. Tum etiam: Nam potest accidere, quod homo recenter iustificatus in peccatum mortale statim

tim probatur; sed hoc contingeret ex vi inclinationis, quam ante iustificacionem ratione habitus vitij habebat: ergo, *Tam denique*: Nam si habitus vitiatorum in iustificacione destruerentur, & loco eorum succederent dispositiones pravæ, oportebat assignare causam harum productivam, cum habitus à dispositione distinguatur specie; sed hæc nequit esse iustificacio, vt ex se liquet, neque aliquis actus pravus, quia in eo instanti non est: ergo falsum est, quod vitia remanent in ratione dispositionis, si de eis proprie loquamur, & non in ratione habituum. Dicuntur tamen similitudinariè *dispositiones*: quia gratia prædominat in subiecto, & quasi vitiatorum inclinationem supprimit, ne in proprios actus prorumpat; & hac ratione sunt in via corruptionis. ¶ Adde: quod in iustificacione etiam expelluntur vitia ex motivo naturali in ratione *habituum*, vt sic dicamus; & non propterea opponuntur directè. *Accidit*: quod si gratia infunderetur cum sola charitate, hoc munus præteret; & tamen vitia non opponuntur contrariè rigorosè cum gratia: ergo.

10 Secundo probatur assertio (per quam præcedens roboratur.) Nam de ratione contrariorum est, quod mutuo se expellant; sed vitia ex motivo supernaturali, & virtutes infusæ non mutuo se expellant: ergo non contrariantur proprie & directè. Minor probatur: tum quia vitium mentendi ex motivo supernaturali potest generari in homine iustificato, quin destruat virtutem veracitatis persè infusam, nec gratia destruat huiusmodi vitium ante iustificacionem acquisitum. ¶ Nec hic habet locum recursus ad vitium in ratione *habitus*, & in ratione *dispositionis*: Quia vitia producta per peccata ex genere suo venialia possunt omne suum complementum habere in statu gratiæ: cum huiusmodi peccata nullam oppositionem dicant cum gratia, sive considerentur secundum suam essentiam, sive secundum suam intentionem.

Tum etiam: nam si mutuo se expellerent, vel esset ratione essentia; vel ratione intentionis; sed neutrum dici potest: ergo huiusmodi vitia, & virtutes non mutuo se expellant. Minor quoad primam partem liquet: nam homo post iustificacionem adhuc manet facilis & promptus ad peccata: quod stare non posset, nisi remaneret vitia saltem quoad entitatem. Quoad secundam ostenditur: nam in contrarijs, quæ mutuo se expellunt ratione intentionis, debet designari certus terminus suæ intentionis, vt monuimus: in limine dubij explicantes diffinitionem contrariorum; & præcipue tertiam conditionem illorum; sed virtutes infusæ nullum habent terminum certum suæ intentionis, vt communiter docent Theologi, licet certus terminus omnibus præfiguratur à divina providentia. Et hac ratione docent Theologi, Christum Dominum habuisse gratiam finitam, sed valde intensam, iuxta

presentem providentiam, vitra quem gradum non poterat in Christo augeri, nec ad illum vllus purus homo potest pervenire: ergo nec mutuo se expellant ratione intentionis.

§. III.

Argumenta contra secundam assertionem.

11 **A**rguitur primò: Nam vitium odij Dei vt authoris supernaturalis opponitur directè charitati: ergo saltem inter aliqua vitia directè à regula supernaturali recedentia, & virtutes infusas datur oppositio propria, & directè contraria. Antecedens probatur primò ex D. Thom. inf. quest. 73. art. 4. ad 3. vbi ait, quod charitas non opponitur directè quodcumque odium, sed odium Dei; sed D. Thom. nequit intelligi de odio Dei finis naturalis: ergo intelligi debet de odio Dei finis supernaturalis. *Secundò*: Charitas debet habere aliquod vitium propriè & directè oppositum; sed non aliud nisi vitium odij Dei finis supernaturalis: ergo.

Confirmatur hoc: Habitus desperationis directè recedens à regula supernaturali directè opponitur spei infusæ: ergo potest dari contrarietas propria & directè inter huiusmodi vitia, & virtutes infusas. Antecedens probatur tum ex D. Thom. 2. 2. quest. 129. art. 6. ad 2. vbi ait: *Spes quidem directè opponitur desperationi, quæ est circa idem obiectum.* Tum etiam ex prædictis verbis; nam habitus tendentes directè ad idem obiectum opposito modo nequeunt non esse proprie & directè contrarij; sed ita se habent spes infusa, & habitus desperationis recedens à regula supernaturali: ergo. ¶ Ab alijs exemplis super se demus, quia dicta sufficiunt.

Ad hoc argumentum cum confirmatione vna est solutio. Iuxta quam respondetur, duplicem esse oppositionem directam, aliam omnibus modis talem, quæ debet servare omnes leges contrariorum: aliam, quæ non est talis omnibus modis, quia non servat omnes leges contrariorum, licet aliquas servet: ob quam rationem potest talis oppositio dici directè secundum quid, & indirectè simpliciter. Et in primo sensu potest concedi contrarietas directè inter virtutes infusas, & vitia recedentia à motivo supernaturali, vt in exemplis adductis: sed quia in eis subiectum non est idem formaliter, sed tantum materialiter, & primò requiritur tanquam conditio necessaria ad contrarietatem rigorosam & omnimodè directam, propterea eis denegamus contrarietatem directam. Quamvis ex parte obiecti possit dici *directè*, vt innuitur in confirmatione. Et hoc, & non alius concedit D. Thomas. Neque inconveniens est concedere, quod his virtutibus propter suam excellentiam non correspondet aliquod vitium rigorosè contrarium, sicut nec substantiæ propter suam perfectionem.

12 Arguitur secundo: Nam propter ea huiusmodi vitia & virtutes infuse non opponerentur contrarie rigorose, quia non mutuò se expellunt; sed hoc est falsum: ergo inter ea datur rigorosa contrarietas. Maior continet unum ex fundamentis nostre assertionis. Minor verò probatur primò ex D. Thom. in 4. dist. 14. quest. 2. art. 2. ad 4. ubi docet, quod licet, virtutibus infusis restititur per iustificationem, habitus virtutum non totaliter tollantur, impediuntur tamen, & diminuantur: ergo mutuò se expellunt. Patet consequentia: quia ad rigorosam contrarietatem, iuxta nostrum modum illam explicandi, non requiritur, quòd ad introductionem virtutis vitium omnino statim expellatur, sed paulatim, & per gradus.

Secundò: Nam scientia, & fides mutuò se expellant. Idemque debet convinci in habitu odij Dei, & charitate. ¶ Tertiò: Prædicta vitia per aliquid debent destrui, alias essent perpetua, estò homo in sanctitate cresceret; sed nihil aliud potest assignari nisi virtutes infuse: ergo. ¶ Quartò: Quia actus illorum sunt inter se impossibiles, vt liquet in odio Dei finis supernaturalis, & amore Dei etiam finis supernaturalis: ergo etiam habitus. Patet consequentia: tum quia oppositio habituum desumitur per ordinem ad oppositionem suorum actuum. Tum etiam: quia sicut repugnat, animam esse simul actu averfam, & conversam ad Deum vitium finem, ita habitualiter.

13 Respondetur concessa maiori; negando minorem. Ad cuius primam probationem desumptam ex D. Thoma dic. sensum illius non esse, quòd ex vi iustificationis, in qua infunduntur virtutes, verè & proprie vitia diminuantur quoad entitatem, sed quòd ratione gratiæ ab exercitio eorum impediuntur, & quodammodo minuitur eorum inclinatio: In quantum gratia, ratione cuius homo adhæret firmiter fini ultimo, cohibet, ne vitium suos actus exerceat. Verum quidem est, quòd decursu temporis etiam minuantur quoad entitatem: sed hoc non provenit ex oppositione virtutis cum vitio, sed ex alio capite infra explicando.

Ad secundam respondetur, quòd etiam fides, & scientia naturalis de eodem obiecto mutuò se expellant: & non propter ea concedunt Adversarij oppositionem directam, & rigorosè contrariam inter ea. Maxime, quia hæc mutua impossibilitas est ratione essentia, & non ratione graduum. Ex alio ergo capite venanda est prædicta expulsio inter virtutes aliquas infusas, & vitia eis opposita recedentia à motivo supernaturali. Scientia enim ex sui peculiari ratione habet convincere intellectum circa suum obiectum, & non relinquere locum ad assensum aliquem obscurum, vt latius dicemus in tractatu de Fide, quinimo tollit totam inclinationem ad illum. Hoc autem non evenit in alijs virtutibus infusis res-

pectu omnis inclinationis ad malum, vt experientia constat. Idem dicimus de charitate, quæ non tollit statim omnem inclinationem habitualement ad Deum odio prosequendum. Nec maior ratio est in illa respectu habitus odij Dei, quam in alijs virtutibus infusis respectu aliorum vitiorum.

14 Ad tertiam respondetur, quòd vitium, vel virtus dupliciter potest destrui, vel persè, vel per accidens. Tunc destruitur persè, quando producit habitus directè ei oppositus: & hoc modo calor destruit frigiditatem; & virtus acquisita vitium recedens à motivo naturali, & è converso. Tunc verò destruitur per accidens, quando destruitur ab alio tanquam à removente prohibens: & hoc pacto tantum virtus infusa destruit vitium ei oppositum: nam ex proprijs meritis vitium nullam impossibilitatem dicit cum virtute infusa; hæc autem per exercitationem suorum actuum per longum, & continuatum tempus potest impedire exercitium vitij, à quo quilibet habitus nostris actibus acquisitus, sive virtuosus, sive vitiosus in sua conservatione dependet; ad differentiam virtutis infuse, quæ à Deo conservatur toto tempore, quo existit homo in gratia, estò nullum actum eliciat. Pro qua solutione videndus est D. Thom. 2. 2. quest. 24. art. 104. Quòd si aliquando ipse S. Doctor docet, vt supra quest. 53. art. 3. quòd hæc destructio per accidens fit, quia eliciuntur actus contrarij; dicendum est, D. Thomam ita concessisse hunc modum destructionis, quòd nunquam negaverit proximè explicatum; quinimò illum aperte docet in prædicto loco ex 2. 2.

15 Ad quartam respondetur, quòd si ex impossibilitate actuum desumeretur impossibilitas habituum, & vera & propria contrarietas, sequeretur, inter vitium ex motivo naturali, & virtutem infusam dari rigorosam contrarietatem, mutuòque se expellere, quia actus illorum sunt impossibiles; quod non concedunt Adversarij. Impossibilitas ergo actuum ex pluribus alijs capitibus potest provenire, quæ non habent locum in habitibus illorum, vel quia voluntas non potest amare plura vt plura: vel quia actus est peccatum mortale indirectè causans privationem gratiæ; sine qua nequit existere virtus persè infusa, nec eius actus. Ex quibus capitibus nulla impossibilitas confurgit in habitibus, vt ex se liquet. Unde ex eo quòd habitus odij Dei, & charitatis sint inclinationes ad prædictos actus impossibiles, inepte inferitur impossibilitas ipsorum habituum: quia odium Dei ex generali ratione peccati mortalis avertit à Deo tanquam ab ultimo fine, quæ aversio tantum est indirectè opposita cum conversioe charitatis ad ipsum tanquam ad vitium finem, quæ est directà, & ex specialia sua ratione. Verum quidem est, quòd si actus odij Dei, & charitatis attendantur præci-

Dub. I. An vitium proprie contrarietur virtuti tam acquisita, quam infusa? 7
 sè ex parte obiecti, habent requisita ad rigorosam contrarietatem, quia versantur circa idem obiectum opposito modo. Et propter hoc tantum potuit optime dicere D. Thomas infra quest. 73. art. 4. ad 3. quòd odium Dei opponitur directè charitati. Desinit tamen à contrarietate rigorosa, & directè adæquate, & simpliciter, quia habent diversa subiecta formalia. Ex quo satis colligitur, nullum esse inconveniens in eo, quòd habitus odij Dei cum sua innata inclinatione, & intentione persistat simul cum habitu charitatis, saltem per breve tempus, cum subiectione tamen ad charitatem, propter rationem supra tractatam. Per quod constat ad utramque probationem.

Adde: quòd licet habitus vitij ex motivo supernaturali, & virtus infusa possent esse contraria rigorosè ex capite mutue impossibilitatis, adhuc eis, & eorum actibus repugnat rigorosa contrarietas eorum defensata ex capite diversi subiecti formalis.

§. IV.

Questiuncula quadam:

16 Inquires primò: an vitia à motivo supernaturali recedentia opponantur saltem indirectè virtutibus infusis? ¶ Respondetur affirmativè. Tum quia, vt perpetuò docet D. Thom. advenientibus virtutibus infusis cum gratia, vitia huiusmodi tantum remanent secundum modum dispositionis, & in via corruptionis; quòd stare non potest absque aliqua oppositione; non directà & rigorosa: ergo indirectè. Tum etiam: Nam tendunt vel ad obiecta aliquomodo opposita, vel ad idem obiectum sub modis aliquomodo oppositis, vt indirectè potest ostendi: ergo semel ostenso, quòd non intercedat inter ea directà, & rigorosa contrarietas, haud negari valet minus rigorosa, & indirectè. Tum denique: Nam opposito actuum nequit non refundere similem oppositionem, etsi non adeò strictam, in habitibus; sed nequit negari aliqua oppositio in actibus eorum: ergo etiam debet aliqua concedi in habitibus. Et magis elucet in habitu odij Dei, & charitate; & evidentiùs in habitu erroris, & fide.

17 Inquires secundo: an aliqualis contrarietas indirectè reperitur in vitijs à motivo naturali recedentibus respectivè ad virtutes infusas; & in virtutibus naturalibus respectivè ad vitia à motivo supernaturali recedentia? ¶ Respondetur affirmativè, licet non ita accedat ad contrarietatem rigorosam, sicut ea, quæ intercedit inter vitia, & virtutes numero præced. relata. Hæc limitatio cuiuslibet consistit. Probatur ergo assumptum principale, quoad primam partem, ratione: tum quia in iustificato huiusmodi vitia tantum remanent in via corruptio-

nis, & secundum modum dispositionis: ergo datur aliqua contrarietas indirectè. Tum etiam: Nam recitudo naturalis, cui immediate contrariantur prædicta vitia, subordinatur recitudini virtutis infuse: ergo si directè contrariantur virtuti naturali, debent indirectè contrariari virtuti infuse. Sicut qui peccat directè contra Deum finem naturalem, indirectè etiam peccat contra cum finem supernaturalem: quia Deus finis naturalis quasi subordinatur sibi ipsi vt fini supernaturali. Tum denique: Quia dictamen prudentiæ infuse, quæ est lex supernaturalis, non solum prohibet peccata contra motiva supernaturalia, sed etiam contra motiva naturalia: quia est lumen superius ad omnia sua motivo altiori se extendens: ergo vitia huiusmodi opponuntur indirectè prudentiæ infuse, & consequenter virtutibus infusis.

Quoad secundam partem etiam ostenditur: Nam dictamen prudentiæ naturalis prohibet, saltem implicite & virtualiter, agere contra omnem legitimè præcipientem: ergo prohibet prædicto modo agere contra Deum præcipientem virtutes supernaturales: ergo etiam præcipit saltem implicite, virtualiter, & indirectè virtutes infusas: ergo virtutes consonæ directè prædicto dictamini debent prædicto modo esse oppositæ vitijs à motivo supernaturali recedentibus. Adde: Quia eadem ratio est in virtutibus naturalibus relatè ad vitia à motivo supernaturali recedentia, ac in vitijs à motivo naturali relatè ad virtutes infusas.

18 Obijciat: Sicut ad directam contrarietatem requiritur directè, mutuaque expulsio: ita ad indirectam contrarietatem requiritur expulsio indirectè saltem in gradibus intensis; sed hæc non salvatur inter vitia recedentia sive à motivo naturali, sive à supernaturali, & virtutes infusas; neque inter virtutes naturales, & vitia recedentia à motivo supernaturali, sed tantum datur exclusio per cessationem à suis actibus: ergo nec datur contrarietas indirectè.

Respondetur negando maiorem. Quia ad contrarietatem indirectam satis est, quòd ex meritis virtutum infusarum expellantur vitia, sive à motivo naturali, sive à supernaturali recedentia in ratione vitiorum, & remaneant in via corruptionis, seu secundum modum dispositionis: quia inter contraria indirectè non requiritur ita rigorosa expulsio adhuc indirectè, sicut inter contraria indirectè directè expulsio.

19 Inquires tertio: an peccata venialia repetita destruant virtutem acquisitam sibi oppositam? ¶ Respondetur affirmativè, si sint talia ex genere suo: proindeque plura mendacia plene deliberata destruant per contrarietatem directam virtutem naturalem veracitatis. Et probatur ratione: nam semel quòd prædicta peccata generent habitum, seu vitium mentiendi datur rigorosa contrarietas inter illud, & virtutem ve-

racitatis, ideoque mutuo se expellunt, sicut cetera rigorose contraria; sed prædicta peccata generant habitum seu vitium mentiendi: ergo destruant virtutem veracitatis. Minor probatur: nam non minus efficax est actus mentiendi in genere mali, quam in genere boni actus dicendi verum; sed actus repetiti dicendi verum generant habitum & virtutem veracitatis: ergo etiam actus mentiendi generant habitum seu vitium mentiendi. Vel reddant disparitatem, qui hoc oppugnant. Neque contra hoc est obiectio alicuius momenti, quam quisvis non possit enodare.

20 Diximus, si talia sunt ex genere suo: quia si sunt peccata venialia non ex genere suo, sed ratione parvitatatis materiæ, vt furta levia, non destruant virtutem sibi oppositam, v.g. virtutem iustitiæ. Ratio est: quia huiusmodi peccata sunt quid imperfectum & diminutum in materia iniustitiæ, sicut materia circa quam versantur; sed iustitiæ virtus ex suo conceptu formali est quid completum & perfectum in ratione virtutis: ergo non destruant virtutem iustitiæ. Probatur consequentia: nam virtus completa nequit destrui nisi per vitium completum ei oppositum; sed quid incompletum, vt sunt prædicta peccata venialia, nequit producere vitium completum: ergo non destruant virtutem iustitiæ.

21 Sed obijcies: Furta levia repetita generant habitum iniustitiæ: ergo possunt destruire virtutem iustitiæ. Antecedens probatur primo: nam per prædicta peccata, si sunt deliberata, homo assuefit ad illa; sed hoc est proprium habitus: ergo generant habitum iniustitiæ. *Secundo*: Nam per actus iustitiæ in materia parva generatur habitus iustitiæ: ergo etiam per furta parva generatur habitus iniustitiæ.

Respondetur iuxta viam probabiliorum negando antecedens. Et ad primam eius probationem dicendum est, quod homo per prædicta peccata, proprie loquendo, non assuefit ad illa: quia assuefactio arguit firmitatem, quam prædicta peccata nequeunt præstare; cum ex levi causa procedant, & id, quod ex levi causa procedit cum exclusione magni, facile retractamus. Ad summum per huiusmodi actus repetitus generatur quadam dispositio ex se facile mobilis, & inclinans ad similes actus. Idemque dicendum est de actibus iustitiæ in materia parva.

22 Diximus etiam supra num. 19. si sicut plene deliberata. Nam si sunt peccata venialia ex defectu plenæ deliberationis, non item destruant oppositam virtutem. Ratio est: Nam huiusmodi peccata non generant habitum vitij: ergo neque destruant oppositam virtutem. Patet consequentia: nam hæc solum potest destrui per habitum contrarium. Antecedens probatur: tum quia non habent vim ad dandam firmitatem; & ita constat experientia, quod facile re-

tractamus, quod absque plena deliberatione volumus. Tum etiam: nam nullus est habitus, qui non subdatur plenè dominio voluntatis, iuxta illud, *Habitibus vitium prout volumus*; sed talis habitus non subderetur plenè dominio voluntatis, sicut nec actus, à quo produceretur, quia talis est habitus, qualis est actus, à quo generatur: ergo non generant habitum vitij.

Obijcies: Huiusmodi peccata generant habitum vitij: ergo destruant virtutem. Antecedens probatur: tum quia seminaentes ex frequentatione eorum sentiunt aliquam facilitatem ad ea. Tum quia possunt esse æque intensa, ac deliberata, suntque eiusdem speciei. Tum denique, quia diminuunt virtutem oppositam: & ita minus castus reputatur, qui sentit motus semi liberos contra castitatem, quam qui illos non habet. *Adde*: Quia calor habens sufficientem intensiorem producit sibi similem: ergo actus huiusmodi semideliberati, & sufficienter intensi producant habitum sibi similem.

Respondetur negando antecedens. Ad primam probationem dicendum est, quod sicut in brutis ex apprehensione repetita de convenientia obiecti datur aliqua assuefactio sine habitu, ita potest dari in amentibus. *Ad secundam*: Respondetur, quod adhuc dabo, quod sint æque intensa, & eiusdem speciei, semper sunt quid imperfectum in esse morali; & ideo non producant habitum, qui petit produci ab actibus secundum suum esse morale, & perfectum. *Ad tertiam*: Dicimus, quod prædicti motus non minuunt castitatem quoad entitatem, sed extrinsecè per appositionem alicuius impedimenti. *Ad additamentum*: Respondetur, quod calori, supposita debita intentione, nihil deficit, vt sit quid perfectum intra suam speciem; secus verò prædicta peccata se habent.

DUBIUM II.

An omnia vitia sint contra naturam hominis, vt rationalis est?

SUB illa particula *omnia* comprehendimus in hoc dubio non solum vitia, quæ recedunt directè à regula rationis naturalis, sed etiam ea, quæ recedunt à motivo supernaturali virtutis, iuxta dicta num. 1. licet de eis agemus sub diversis assertionibus claritatis gratia. In illa particula *contra* non intelligimus contrarietatem rigorosam, de qua loquuti sumus dub. præc. sed quandam repugnantiam, aut dissonantiam ad naturam. Nonne *natura vt rationalis* solum accipimus naturam humanam, prout distinctam à seipsa vt sensitiva est: quamvis de ea, vt sensitiva est, non nihil dicemus

s. vitio.

* * *

S. I.

Affertio prima de vitij contrarij virtutis naturalis.

24 **D**icendum est primò, vitia directè contraria virtutibus acquisitis esse contra naturam hominis vt rationalis. Ita plures Patres, vt D. August. lib. 3. de *Lib. arbit.* cap. 13. vbi ait: *Omne vitium, eo ipsa quòd vitium est, contra naturam est.* Idem docet Damascen. lib. 2. de *Fide* cap. 4. aliisque in locis. Et D. Thom. in hac quest. 71. art. 2. & infra quest. 94. art. 3. ad 2. vbi ait: *Natura hominis potest dici vel illa, quæ est propria hominis: & secundum hoc omnia peccata, in quantum sunt contra rationem, sunt etiam contra naturam.* D. Thomam sequuntur communiter Theologi.

Et probatur ratione: Nam vitium huiusmodi est mala dispositio naturæ rationalis, vt rationalis est: ergo est contra naturam hominis, vt rationalis est. Antecedens probatur primò ex definitione illius: quod aliter diffiniri non potest, nisi per hoc quod est, *Qualitas, secundum quam natura rationalis male se habet*: ergo est mala dispositio naturæ rationalis, vt rationalis est. *Secundo*: Virtus naturalis est bona dispositio naturæ rationalis, vt rationalis est: ergo vitium ei contrarium est mala dispositio naturæ rationalis vt rationalis; aliàs non esset contraria. *Tertio*: Nam vitium huiusmodi reddit hominem infirmum, & propterea in natura omnino integra non haberet locum: ergo est mala dispositio naturæ rationalis vt rationalis.

25 Probatur secundo ratione, qua deteguntur capita, ex quibus vitium huiusmodi opponitur naturæ rationali. Nam imprimis est contra lumen naturalis rationis, quo ipsa natura rationalis vt rationalis persè primò dirigitur: est etiam contra bonum honestum, quod est proprium bonum prædictæ naturæ: & denique contra inclinationem, quam natura rationalis dicit ad huiusmodi bonum: ergo est absolute contra naturam rationalem vt talem. Consequenter liquet in frigiditate, quæ est contra naturam ignis, quia est contra calorem, per quem connaturaliter agit, & consequenter est contra bonum proprium illius, quod est calefacere: & tandem quia est contra naturalem eius inclinationem ad calefaciendum. Unde solum restat probare antecedens quoad singulas partes.

Probatur ergo quoad primam partem, in qua tantum probari debet, quod lumen naturale est forma propria, per quam forma rationalis vt talis agit: nam quòd fit contra illud, est persè notum, sicut quòd virtus naturalis fit iuxta illud. Igitur probatur hoc: nam ita se habet dictamen rationis in practicis, sicut ratio seu lumen.

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

men principiorum in speculativis; sed ratio, seu lumen principiorum in speculativis est propria forma, per quam homo rationalis, vt talis, tenetur concludere omnes suas operationes: ergo dictamen rationis est propria forma, per quam agit in practicis.

Quoad secundam partem, nempe quod bonum honestum est proprium bonum naturæ rationalis vt talis, etiam probatur: Nam illud bonum est proprium alicuius naturæ, quod est consonum formæ, per quam agit; sed bonum honestum est consonum formæ, per quam agit natura rationalis vt rationalis: siquidem est consonum rationis dictamini, quod est propria forma, per quam agit in practicis, vt proxime probavimus: ergo est proprium naturæ rationalis vt rationalis.

Quoad tertiam partem etiam ostenditur, quoad id præcisè quod dicitur, nempe naturam rationalem dicere inclinationem ad bonum honestum: tum ex D. Thom. infra quest. 94. citat. art. 3. in corp. vbi ait: *Naturalis inclinatio inest cuiuslibet homini ad hoc, quòd agat secundum rationem, & hoc est agere secundum virtutem*: constat autem, bonum honestum esse bonum rationis, seu virtutis, ergo natura rationalis, vt talis, dicit inclinationem ad bonum honestum. *Tum etiam*: Nam quilibet naturæ dicit inclinationem ad bonum connaturale formæ, per quam agit, vt inductive potest ostendi; sed bonum honestum est connaturale dictamini rationis, quòd est forma, per quam homo vt rationalis operatur in practicis: ergo. Neque in his immoratur, quia videntur certa.

26 Obijcies tamen primo: Homo vt rationalis habet naturalem inclinationem ad peccatum: ergo vitium non est contra naturam rationalem. Antecedens probatur primò ex illo Sapient. 12. vbi dicitur: *Erant enim naturalis malitia eorum.* ¶ *Secundo*: Nam id, quod plures sequuntur, est naturale, & iuxta inclinationem suæ naturæ, nam quod est contra naturam, contingit in paucioribus; sed plures sunt, qui sequuntur peccata, quam virtutes: ergo natura hominis dicit inclinationem ad peccatum. ¶ *Tertio*: Peccatum non est naturæ rationali violentum, cum sit voluntarium: ergo non est contra eius inclinationem, sed potius iuxta illam. ¶ *Quarto*: Nam quaedam peccata sunt, quæ sunt mala præcisè quia prohibita: ergo non pugnant cum lege naturali, nisi tantum secundum quid, & facta aliqua suppositione, vide licet legis positivæ: ergo neque pugnant contra naturam rationalem.

Ad hanc obiectionem respondetur negando antecedens. Ad primam probationem respondet breviter, & perspicue D. Thom. quest. vnic. de *Virtutib.* art. 8. ad 16. his verbis: *Dicendum, quòd malitia eorum erat naturalis, in quantum erat in consuetudinem reducta,*

B

prout

prout consuetudo est altera natura. ¶ Ad secundam respondetur, hoc esse proprium in homine, qui cum consistit duplici parte inter se satis diversa, videlicet sensitiva, & rationali, & ratione peccati originalis quodammodo contraria, & non possit pervenire ad actus rationis nisi per operationem sensus, propterea proclivis est ad bona sensibilia, quae regulariter sunt materia vitiolorum; ideoque appetitus ad vitia contingit in pluribus, & appetitus ad virtutes in paucioribus. Ex quo nequit inferri, partem rationalem dicere inclinationem ad peccata. ¶ Ad tertiam respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam. Quia non est idem, aliquid esse voluntarium, ac esse iuxta inclinationem voluntatis: nam ad hoc ut sit voluntarium, prout contraponitur violento, sufficit, quod egrediatur intrinsicè à voluntate, passo non conferente vim; quod potest fieri, citò sit contra inclinationem voluntatis, dummodò apprehendatur, & proponatur voluntati sub ratione *boni*, & convenientis. Videatur D. Thom. supra quæst. 6. art. 4. ad vltimum.

Ad quartam respondetur, concessio antecedenti; negando consequentiam. Nam semel quod prohibeatur lege positiva, pugnant etiam cum lege naturali: siquidem hæc etiam dicitur, parendum esse cuiuslibet legitime præcipienti. ¶ Neque ex hoc sequitur, esse contra naturam tantum secundum quid, & ex suppositione: Quia suppositio multoties mutat naturam rei, ut liquet in precepto, quod est suppositio persè requisita ad actum obedientie. Ad hunc ergo modum lex positiva est suppositio persè requisita ad hoc, ut actus mali, quia prohibiti, sint per se mali, qua suppositione facta, essentialiter sunt etiam contra legem naturalem.

27 Obijcies secundo: Homo non habet naturalem inclinationem ad virtutes: ergo ex eo, quòd vitia contrariantur illis, non sequitur, quòd sint contra naturam hominis, ut rationalis est. Antecedens probatur primò: nam homo non indiget virtute ad bonum, ad quòd habet naturalem inclinationem, & propterea diximus tract. præc. disp. 2. dub. 2. voluntatem non indigere virtute superaddita ad bonum honestum proprium suppositi, in quo est; sed homo indiget virtute ad attingenda plura alia bona honesta naturalia: ergo non habet inclinationem naturalem ad virtutes. *Secundo*: Nam si haberet naturalem inclinationem ad virtutes, non posset assuescieri ad actus vitiosos, nec possent generari habitus vitij: sicut lapis non potest assuescieri ad ascensum, quia est contra eius inclinationem ad descensum; sed hoc experientia constat esse falsum: ergo. *Tertio*: Quia principium esse indifferens ad actus oppositos non magis inclinat ad unum, quam ad alium; sed natura hominis, utpote libera, est indifferens ad actus virtutis, & vitij: ergo non inclinat specialiter ad actus vitiosos.

tuosos. *Quarto*: Natura rationalis fertur necessario quoad specificationem ad terminum suæ naturalis inclinationis; sed homo non fertur necessario quoad specificationem ad virtutes, cum experientia teste plures odio illas habeant: ergo.

28 Respondetur negando antecedens. Et ad primam probationem dicitur, quòd homo non indiget virtute ad bonum illud, ad quòd inclinat perfectè, & sine difficultate: & hoc modo voluntas inclinat ad bonum proprium naturale, ut latè diximus loco allegato. Ceterum bona honesta, quæ sunt ad alterum, neque terminant inclinationem perfectam & completam, neque ex se attinguntur nisi cum magna difficultate. Et propterea non tollitur, quòd natura rationalis dicat aliquam inclinationem incompletam, & quòd indigeat habitibus virtutum ad vincendam hanc difficultatem, & ad habendam inclinationem perfectam & completam.

Per quòd constat ad secundam: Nam propterea lapis nequit assuescieri ad descensum, quia eius inclinatio ad descensum est perfecta, & completa, & absque vlla difficultate. Cum ergo homo ad attingenda omnia bona honesta naturalia non habeat inclinationem completam, propterea potest assuescieri ad actus vitiosos. Difficultas tamen est, an possit voluntas assuescieri ad actus vitiosos contrarios bono proprio honesto? Sed pro hac recole quæ diximus loco proxime relato num. 15.

Ad tertiam respondetur, quòd sicut repetitis actibus alicuius virtutibus non potest negari, quòd generetur habitus virtutis, & cum ea inclinatio completa ad actus virtuosos, quin ob hoc tollatur à voluntate indifferencia ad illos, & ad actus vitiosos; ita ante exercitium activum virtutis potest dari inclinatio incompleta ad illos potius, quam ad actus vitiosos quin tali peculiari inclinationi obicit indifferencia elicitive ad actus bonos, & malos.

Ad quartam respondetur cum communi calculo Theologorum, concedendo maiorem; & negando minorem. Existimant enim, quòd si virtutes considerentur secundum se, terminant appetitum necessarium quoad specificationem tam innatum, quam elicivum, itaut homo non possit eas odio prosequi. Verum quidem est, quòd multi illas odio habent; sed hoc ratione alicuius adiuncti laboris, quòd non tollit necessitatem quoad specificationem: sicut homo necessitatè quoad specificationem ad suam vitam diligendam, licet ratione alicuius adiuncti, videlicet ad vitandam aliquam gravem miseriam, nonnulli illam odio prosequantur. Pariter homo est necessitatus quoad specificationem ad appetendam scientiam, quamvis ratione laboris annexi plures illam odio habeant.

Affertio secunda de vitij contrarij virtuti infuse.

29 **D**icendum est secundò, etiam vitia recedentia à motivo supernaturali esse contra naturam rationalem ut talem. Ita colligitur ex testimonijs D. Augustini, & D. Thomæ num. 24. relatis, ubi de omnibus vitijis absque aliqua restrictione aiunt esse contra naturam. Sed specialiter constat ex his, quæ D. Thom. docet 2. 2. quæst. 10. art. 1. ad 1. ubi ait, quòd infidelitas, prout opponitur fidei infuse, est contra naturam. Idem constat ex solut. ad 1. huius art. 2. quæst. 71. ubi ait, vitia, quæ contrariantur virtutibus, quæ sunt tales per infusionem, esse contra naturam. D. Thomam sequuntur communiter Theologi, vno, vel altero excepto, quos infra referemus.

Et probatur ratione: Nam huiusmodi vitia etiam sunt mala dispositio naturæ rationalis: ergo sunt contra talem naturam. Antecedens probatur: tum quia sunt quiddam disconveniens & dissonum tali naturæ, quibus male se habet: ergo est mala dispositio naturæ. *Tum etiam*: Quia per talia vitia non minus redditur debilis & infirma natura rationalis, quam per vitia recedentia à motivo naturali. *Tum denique*: Nam id, quòd disponit subiectum contra id, quòd est iuxta naturam, nequit non male disponere; sed prædicta vitia sunt huiusmodi: siquidem virtus infusa est dispositio naturæ rationali conveniens: ergo sunt mala dispositio naturæ rationalis.

30 Respondebis, virtutes infusas, utpote supernaturales, non esse iuxta naturam, sed supra naturam, ob quam rationem non sunt illi debite, nec ipsa natura dicit inclinationem naturalem ad eas; ideoque vitia directè illis opposita non sunt contra aliquam eius inclinationem. Quare nec debent dici contra illam.

Sed contra est. Nam negari non potest, quòd virtus infusa, quamvis non sit debita naturæ rationali, est tamen illi consona & conveniens, per quam bene se habet: ergo in hoc sensu nequit negari, quòd est iuxta naturam: ergo à contrario sensu vitium ei directè oppositum est dispositio dissona & disconveniens naturæ rationali, & verè contra illam.

Confirmatur: Nam id, quòd reddit naturam imperfectam ex se, & impedit eam, ne à natura superiori, cui subordinatur, perficiatur, nequit non esse illi disconveniens & simpliciter dissonum, ac proinde contra illam; atqui vitia, de quibus loquimur, reddunt ex se naturam imperfectam, præstantque impedimentum, ne perficiatur à natura superiori, cui subordinatur: ergo sunt illi simpliciter dissona, & contra eam.

Minor probatur: nam omne ens naturale subordinatur enti supernaturali: & hac ratione Deus, ut auctor naturalis quodammodo subordinatur sibi, ut auctori supernaturali. Unde natura rationalis ob sui magnam capacitatem subordinari debet gratiæ naturæ, eiusque virtutibus comitibus tanquam ad sui perfectivum; sed huiusmodi vitia, sicut & peccata illis correspondentia impediunt perfectionem gratiæ, & suarum virtutum, ut ex se liquet: ergo.

31 Probatur secundo ratione: Nam id, quòd est aliquomodo contra dictamen rationis naturalis, nequit non esse contra naturam rationalem: ex quo assertione præced. probavimus, vitia directè opposita virtutibus acquisitis esse contra eam; sed vitia, de quibus nunc est sermo, etiam sunt aliquomodo contra dictamen naturæ rationis: ergo sunt contra naturam rationalem. Minor probatur: nam lex naturalis, seu dictamen naturæ rationis dicitur, obediendum esse cuiuslibet legitime præcipienti: ergo etiam dicitur parendum esse Deo virtutes supernaturales præcipienti, & vitia eis directè opposita prohibenti: ergo huiusmodi vitia sunt aliquomodo contra dictamen naturæ rationis.

32 Respondebis, rationem naturalem non pertingere ad cognoscendum ordinem supernaturalem: & hac ratione nullo modo præcipere virtutes persè infusas, nec prohibere vitia eis directè opposita.

Sed contra est primò: Nam ratio naturalis potest pertingere ad cognoscendum, saltem in consilio, & sub ratione cuiusdam magni, ordinem supernaturalem; sed hoc satis est ad hoc ut dicatur de virtutibus infusis: ergo dicitur suo modo de eis, & de earum vitijis oppositis. ¶ Secundò: Præposita cognitione formali huiusmodi ordinis per vires supernaturales, non est, cur dictamen naturæ rationis non se extendat ad dictandum, quòd Deo auctori supernaturali est obediendum, utpote legitime præcipienti, & quòd virtutes sunt prosequenda, & vitia peccataque fugienda. Et ita lex naturalis prohibet simoniam, quæ directè est contra præceptum supernaturale, si proportionatè ad suum modum cognoscendū proponatur: etiam prohibet sigilli confessionis fractionem, licet directè sit contra præceptum supernaturale: & alia huiusmodi.

33 Tertio probatur ratione, qua vitur Godoy, & nobis aridet: Nam quidquid sit, quòd vitia, de quibus loquimur, non opponantur alicui bono, ad quòd natura rationalis habeat inclinationem naturalem; potest tamen ipsa natura habere inclinationem innatam ad fugiendum à dispositionibus ei nocivis & disconvenientibus; sed independentè ab eo, quòd vitia huiusmodi sint opposita virtutibus infusis, ex se sunt nociva & disconvenientia, cum persè primò ordinentur ad malum, videlicet ad peccatum: ergo sunt contra naturam. Maior solum eget explicatio.

ratione. Et sic exemplo caloris: qui independenter ab eo, quod expellat frigiditatem aquæ naturalem, etiam est dissolvens illi, & contra eius inclinationem, quam habet ad illum fugiendum: ideoque est miraculose Deus illum conservaret cum frigiditate, adhuc reniteret illi secundum suam inclinationem propriam, & particularem.

34 Sed dices: Nequit dari inclinatio pure averfiva: ergo si huiusmodi vitia non sunt contra naturam, aut contra aliquam eius inclinationem ad virtutes infusas, nec possunt esse contra illam ut dicentem inclinationem averfivam. Antecedens probatur: nam omnis fuga est propter prosecutionem ad aliquod obiectum: & hac ratione communitur dicitur, quod odium supponit amorem, a quo oritur: neque in aqua daretur inclinatio averfiva caloris, nisi supponeret inclinationem conversivam ad frigiditatem: ergo nequit dari inclinatio pure averfiva.

Respondetur fatendo, non dari inclinationem pure averfivam. At datur magnum discrimen inter extrema, quæ sunt eiusdem ordinis, & extrema quæ sunt diversi ordinis. Nam quando extrema sunt eiusdem ordinis, inclinatio averfiva relatæ ad unum extremum fundatur in inclinatione conversiva ad aliud oppositum: & hoc pacto se habet in aqua inclinatio averfiva à calore, & inclinatio conversiva ad frigiditatem. Ceterum quando extrema sunt diversi ordinis, optime potest dari inclinatio averfiva ab uno extremo, quin fundetur in inclinatione conversiva ad aliud, dummodo fundetur in inclinatione conversiva ad bonum proprium ipsius naturæ. Igitur virtutes infusæ, & vitia, de quibus est sermo, sunt duo extrema opposita taliter, quod virtutes sunt quid supernaturale tam terminativè, quam entitativè; vitia verò, est quid supernaturale averfivè terminativè, sunt quid naturale entitativè: acquiruntur enim nostris actibus, & per vires naturæ possunt vitari: & ob hanc rationem natura potest habere inclinationem averfivam ab eis, quin fundetur in inclinatione conversiva ad virtutes, sed in alia inferiori.

§. II.

Sententia contraria cum suis fundamentis.

35 PRO sententia huic secundæ affectioni contraria solent referri Medina, Lorca, Conradus, & Durandus. Et arguitur primò: Nam peccata, & vitia à motivo supernaturali recedentia non sunt contra rationem naturalem: ergo ex hac parte non sunt contra naturam rationalem. Antecedens probatur primò ex D. Thoma in hac quæst. 71. art. 6. ad 5. ubi ait, peccatum ex genere convenientius diffinitur per esse contra legem æternam, quam per esse contra rationem naturalem, quia continentur sub eo plura peccata, v. g. peccata contra fidem, quæ non

sunt contra rationem naturalem: ergo vitia, & peccata à motivo supernaturali recedentia non sunt contra rationem naturalem. Secundò: Nam ratio naturalis nihil dicitur de rebus supernaturalibus: ergo. Tertio: Prudentia infusa habet specialia præcepta, ad quæ non se extendit prudentia acquisita: ergo peccata directè eis opposita nullo pacto sunt contra rationem naturalem.

Ad hoc argument. ex dictis §. præced. facile respondetur, negando antecedens. Et ad eius primam probationem dicitur, quod peccata contra fidem infusam sunt contra rationem naturalem indirectè. Et hoc sufficit, ut sint absolute contra naturam, & ut peccatum diffiniatur per esse contra legem æternam: quia debet diffiniri per id, quod convenit directè omni peccato. Adde: Quod licet prædicta peccata nullo modo essent contra rationem naturalem, adhuc essent malæ dispositiones naturæ rationalis, & ex hoc sunt contra eam, quamvis non essent ex altero capite. Ad secundam probationem satis constat ex dictis num. 31. & 32. Ad tertiam: Respondetur, quod ad præcepta directæ prudentiæ infusæ potest dictamen naturalis rationis indirectè se extendere: sicut prudentia infusa potest se extendere indirectè ad præcepta naturalis rationis, licet ex diverso capite, & ex alteri ratione.

36 Arguitur secundo: Si huiusmodi vitia essent contra naturam rationalem, esset, quia sunt contra virtutes infusas, quæ sunt illi consonæ & convenientes; sed hæc ratio est nulla: ergo non sunt contra eam. Minor probatur: tum in fide, quæ opponitur lumini gloriæ, quod magna perfectio hominis est; & tamen non est contra naturam rationalem. Idem apparet in spe respectu possessionis. Tum etiam: Nam modus cognoscendi per conversionem ad phantasmata opponitur modo cognoscendi sine dependentia ab illis; & tamen neuter modus est contra naturam hominis ut homo est: ergo ex eo, quod vitia sint contra virtutes infusas, quæ sunt perfectiones consonæ naturæ rationali, non sequitur esse contra ipsam naturam.

Ad hoc argument. respondetur, negando minorem. Et ad utramque probationem dicendum, quod cum anima rationalis sit forma spiritalis, & informet corpus corruptibile, potest ex natura sua duplicem statum, ratione cuius exigit etiam virtutes diversas, & modos cognoscendi etiam diversos. Et ob hanc rationem nec fides est contra naturam rationalem, ex eo quod opponatur lumini gloriæ; nec modus cognoscendi per conversionem ad phantasmata est contra eandem naturam, ex eo quod opponatur modo cognoscendi sine dependentia ab illis: quia hæc perfectiones sunt prædictæ naturæ convenientes pro diversis statibus, ut ex se liquet: fides namque, & modus cognoscendi per conversionem ad phantasmata convenienti ei pro statu coniunctionis; & modus cognoscendi sine

con-

conversione ad phantasmata, sicut & lumen gloriæ pro statu separationis, & gloriæ. Unde termo est hic de illis rebus, quæ possunt esse in eodem subiecto pro eodem statu, sicut se habent virtutes infusæ, & vitia eis directè opposita. Adde: Quod perfectiones recentitæ sunt verè perfectiones naturam iuxta modum sibi connaturalem; & vitia opposita virtutibus infusis in nullo statu perficiunt naturam, sed potius è contra.

37 Arguitur tertio: Nam ex nostra sententia sequitur, pueros existentes in limbo habere remorsum conscientie de peccato originali, & hereticos in hac vita de peccato hæresis, & Dominos posse cogere servos infideles, ut fidem suscipiant: siquidem sunt contra dictamen naturæ rationalis, quæ semper remurmurat de his, quæ sunt contra illam; sed hæc sunt falsa: primum, quia pueri in limbo nullam habent penam sensus: secundum, quia id docet D. Thom. in 2. dist. 39. quæst. 3. art. 1. ad 3. & tertium, quia id asserit 2. 2. quæst. 10. art. 8. ergo peccata, & vitia directè opposita virtutibus infusis non sunt contra dictamen naturæ rationalis.

Respondetur, negando sequelam quoad omnes suas partes. Quia imprimis remorsus conscientie solum est de illis peccatis, quæ propria voluntate committuntur; & propterea etsi essent directè contra ius naturæ, adhuc non haberet locum de illis in pueris cum solo originali decedentibus. Deinde remorsus conscientie in hereticis propterea non habet locum in hac vita, quia non agnoscent suum errorem: sicut nec de peccatis directè oppositis dictaminis naturali rationis, quando errore, vel ignorantia, aut oblivione adhuc culpabili non agnoscentur. Oppositum eveniet in altera vita, ubi errorem, & peccatum suum agnoscent. Tandem domiui non possunt cogere servos suos, ut fidem recipiant, quia hæc petit recipi omnino spontaneè.

§. IV.

Quæstiuicula quadam.

38 Inquires: an vitia, & peccata sint contra naturam sensitivam? Non est sermo de omnibus peccatis, & vitijs: quia certum omnino est, ea peccata, quæ pertinent præcisè ad partem intellectivam, ut peccatum infidelitatis, & alia huiusmodi, nec conformiter, nec difformiter se habent ad eam. Sermo ergo est de vitijs, & peccatis residentibus in parte sensitiva. Circa quæ tria sunt indubitata. Primum est: quod hæc peccata, si tantum lege positiva prohibeantur, quoad materiale specificativè sumptum non sunt contra talem naturam: quia quoad hoc eiusdem rationis est comestio carnis in die non prohibito, ac in die prohibito. Secundum

est: quod non sunt contra talem naturam, prout est communis homini, & bruto; quia nullum est prædicatum, ratione cuius virtutes sint convenientes. Tertium: quod sunt contra illam, prout actu subditur rationi: quia opponitur prædictæ rationi. Unde tota difficultas est circa prædictam naturam, prout præcedit actualem subordinationem ad rationem, & prout nata est obedire rationi, hoc est, secundum quod habet aliquid speciale in homine, quod non habet in bruto: ad eum modum quo dicitur, imaginativam, & cogitativam in homine habere ex radicatione in essentia hominis aliquid speciale, quod non habet in bruto.

39 Quibus suppositis, respondetur quæsitò, quod vitia, & peccata secundum suum formale esse contra prædictam naturam. Ita communiter Theologi, Martinez, Araujo, Montes, Godoy, disp. 18. N. Salmant. in præf. disp. 2. num. 27. & alij. Et probatur hoc vnicò, sed solido fundamento ex dictis deducto: quod ad duo capita potest reduci: Nam imprimis natura sensitiva non habet inclinationem ad vitia in ipsa recepta; aliunde habet inclinationem ad virtutes oppositas: ergo sunt contra naturam sensitivam. Consequentia iuxta hucusque dicta legitima est: vtrique verò præmissa eget probatione. Probatur ergo maior: tum quia omnis inclinatio cuiuslibet naturæ est à Deo; sed inclinatio ad malum pro formali nequit esse à Deo, aliàs esset causa peccati: ergo natura sensitiva non habet inclinationem ad vitia seu peccata pro formali.

Neque huic probationi officit exemplum potentie peccandi, quo vitur Godoy, loco citato num. 6. ad eam debilitandam: vel quia non officit naturæ rationali ut rationali: vel quia nulla dicitur vera inclinatio, nisi ea quæ provenit ab Authore naturæ, aut convenit naturæ secundum conatum, quem dicit ad terminum, ut infra dicemus, dum agatur de potentia peccandi.

Tum etiam probatur eadem maior: quia quod non convenit parti rationali ratione sui, nec convenit parti sensitivæ, prout nata est obedire rationi, seu prout habet aliquod participium habituale ab ea; sed parti rationali non convenit inclinatio ad peccatum pro formali: ergo nec naturæ sensitivæ, prout nata est obedire rationi.

Deinde probatur minor. Tum quia quælibet natura dicit inclinationem ad suam perfectionem naturalem & proportionatam; sed virtus v. g. temperantia est perfectio naturalis & proportionata naturæ sensitivæ, prout nata est obedire rationi, cum nequeat alia assignari, cui fit proportionata: ergo habet inclinationem ad illam. Tum etiam: Quia natura rationalis habet inclinationem ad omnes virtutes naturales, & proportionatas, inter quas etiam annumerantur,

quæ

que resident in appetitu sensitivo: ergo ad has ultimas etiam habet inclinationem natura sensitiva, prout habet aliquid à ratione.

Adde primo: quia omne vitium est mala dispositio nature, in qua est ergo etiam est contra naturam. Sicut ob eandem rationem vitia opposita virtutibus infans sunt contra naturam rationalem. ¶ Adde secundò: quia virtutes sunt perfectiones, & valde consonæ nature sensitivæ: ergo vitia eis opposita sunt dissimila prædictæ nature, & illam inficiunt; sed propter hanc rationem vitia opposita virtutibus insulas sunt contra naturam rationalem: ergo etiam vitia opposita virtutibus acquisitis sunt contra sensitivam.

40 Sed objicies, impugnando prædictam rationem quoad utramque partem: Nam imprimis natura sensitiva hominis dicitur inclinationem ad malum pro formali; deinde nullam inclinationem importat ad bonum virtutis; ergo vitia, seu peccata non sunt contra naturam sensitivam. Maior patris probatur: Tum ex Scriptura: nam Genes. 8. dicitur: *Sensiva, & cognitio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Et ad Galat. 5. *Caro concupiscit adversus spiritum; & spiritus adversus carnem.* Ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in legem peccati:* Quibus in locis aperte insinuat inclinationem partem sensitivæ ad peccatum. Tum ex Trident. sess. 5. vbi dicitur, concupiscentiam dici à D. Paulo peccatum: quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Tum ex Philos. 2. Ethic. vbi ait: *Et homo sicut studiosus, oportet, ut seruet se à vitio, in quo maxime natura inclinatur.* Tum ex D. Thom. 1. part. quest. 63. art. 4. ad 2. vbi dicit, malitiam aliquorum hominum dici naturalem, vel propter consuetudinem, quæ est altera natura; vel propter naturalem inclinationem ex parte nature sensitivæ ad aliquam inordinatam passionem. Et in præf. art. 2. ad 3. ex eo probat, vitia esse in pluribus, quia plures sequuntur inclinationem nature sensitivæ contra ordinem rationis. Tum deinde ratione: nam concupiscentia dicitur formali inclinationem ad bona sensitiva contraria rationi: ergo dicit inclinationem ad peccatum pro formali.

Deinde probatur minor. Tum quia solum potest recipere virtutes prout elevata à natura rationali ut rationali: ergo nequit ut esse naturales. Patet consequentia: nam hæc ratione probatur virtutes insulas non esse terminum inclinationis naturalis intellectualis nature, quia nequit eas recipere secundum potentiam naturalem, nisi ex elevatione ad ordinem superiorem. Tum etiam. Nam inclinatio ad materiale peccati non stat cum inclinatione ad bonum virtutis; sed natura sensitiva inclinatur ad materiale peccati: ergo.

41 Ad hanc objectionem respondetur, negando utramque præmissam. Et ad probationem maioris ex tot testimonijs desumpta: dicendum est,

tantum probari ex eis, quod natura sensitiva dicit inclinationem ad objecta sensibilia pro materiali, quæ regulariter sunt contra rationem: vel quod concupiscentia pro formali, quo pacto dicitur pro formali originale peccatum, tendit ad sensibilia, & delectabilia, quæ multoties adverfantur rationi. Neque ex eis potest probari, quod naturaliter inclinet ad positivè operandum contra rationem. Et hoc modo sunt exponendi Arist. & D. Thomas. ¶ Ad ultimam probationem respondetur, quod concupiscentia potest dupliciter accipi, vel secundum id quod dicit de materiali; quo pacto dicitur solum inclinationem appetitus sensitivi, & aliarum virtutum animæ ad bonum sensibile. Vel secundum id quod dicit de formali; & hoc modo addit privationem subordinationis ad rationem superiorem, & destititionem iustitiæ originalis, quoad effectus secundarios illius, ut sic loquamur de illa prout est in baptizatis. Prior modo accepta non dicit inclinationem ad operandum contra rationem; sicut in posteriori acceptione inclinet ad malum; vt ex D. Paulo definit Tridentinum. At in his duabus inclinationibus sola prima est naturalis sensitivæ nature. Unde quamvis concupiscentia formaliter, & in toto rigore concepta, inclinet ad malum, nullatenus sequitur, quod ipsa natura sensitiva secundum se dicat inclinationem ad malum morale.

42 Ad primam probationem minoris: Respondetur, concessio antecedenti; negando consequentiam. Et ratio disparitatis inter virtutes naturales appetitus sensitivi, & virtutes insulas partium rationalis, aut sensitivæ est, quod pars sensitiva hominis, prout in homine, est coniunctio ad rationalem manet habitualiter elevata & subordinata rationi, ita ut hæc subordinatio sit debita illi prout in homine quasi proprietaria illius. Et ita sicut virtutes insulas sunt naturales homini prout elevato per gratiam, ita nature sensitivæ hominis prout in homine sunt naturales virtutes acquisite residentes in ea. Et sicut calor vt octo secundum se nequit se extendere in productionem substantiæ, sed debet elevari per quandam vigorositatem quasi virtualiter diversam, per quam est elevatus habitualiter, & hæc elevatio est ei connaturalis, & ratione illius habet inclinationem naturalem ad producendum ignem, ita de parte sensitivæ hominis prout in homine, vbi similis ratio reperitur, dicendum est. Ad secundam: Respondetur concedendo maiorem, si intelligatur de materiali peccati formaliter sumpto, fecus verò si intelligatur de illo materialiter accepto.



DUBIUM III.

An actus in ratione boni, aut mali excedat simpliciter habitum?

Inter actum, & habitum dari mutuum excessum tam in esse entis, quam in ratione boni, & mali est communis sententia Theologorum: nam habitus, quæ ratione est causa efficiens actus, & illo permanentior, debet illum excedere: sed actus quæ ratione est actualior, & finis habitus, cum de ratione finis sit, quod sit potior his, quæ sunt ad finem, debet habitum superare. ¶ Non minus certum est, actum adequatum habitus, seu potentia esse perfectiorem simpliciter habitu, seu potentia, propter rationem proximè traditam. Sicut certum est, habitum, seu potentiam in esse entis esse simpliciter perfectiorem actu inadæquate accepto: quia continet alios actus; & hæc continentia amplior satis est ad hoc, vt superet absolute & simpliciter in perfectione id, quod actus aliqui in particulari, & inadæquatus dicitur de actualitate. Quocirca difficultas reducit ad actum, & habitum secundum formale malitiæ, aut bonitatis moralis.

§. I.

Communis sententia Theologorum.

43 Dicendum est, actum superare absolute & simpliciter habitum in bonitate, & malitia morali. Ita communiter Theologi cum D. Thoma in præf. art. 3. alijsque in locis, quæ possunt videri apud N. Salmant. in hoc tract. disp. 3. dub. vnic. Et probatur illius ratione: nam actus excedit simpliciter potentiam in bonitate & malitia: ergo etiam excedit habitum. Consequentia videtur legitima: quia habitus est medius inter potentiam, & actum; & hæc ratione nec est ita indifferens ad bonum, & ad malum sicut potentia, nec est ita determinatus ad malum, sicut actus. Antecedens verò probatur: tum ex Arist. 9. Metaphys. cap. 10. vbi postquam probat, potentiam esse indifferenter ad bonum, & malum, fecus verò actum, sic concludit: *Actus verò melior est.* Et de actu malo sic ait: *Necesse autem est in malis actum esse deteriore potentia.* Tum etiam: nam id est absolute & simpliciter melius, quod magis excludit rationem mali, & id est deterius, quod magis excludit rationem boni, sicut ille color magis accedit ad colorem albi, qui magis excludit rationem nigri; sed actus excludit magis rationem boni, aut mali respectivè, quam potentia, cum idem actus nequeat esse simul bonus, & malus, & potentia sit indifferens ad bonum, & malum: ergo actus excedit simpliciter potentiam in bonitate, & malitia. Tum denique: Nam quod est tale simpliciter, excedit id, quod in eadem

linea est tale secundum quid; sed potentia est bona, aut mala secundum quid in genere moris, & actus est bonus, aut malus simpliciter: quia potentia est bona, aut mala tantum in potentia, & actus est in actu: ergo. Pro qua probatione vide D. Thomam loco citato Metaphys.

44 Et confirmatur: nam habitus excedit simpliciter potentiam in ratione boni, aut mali moralis: ergo etiam actus excedit habitum. Antecedens est certum: nam habitus est magis determinatus in bonitate, & malitia quam potentia, & proximè subijcitur regulis morum. Consequentia verò probatur: tum quia etiam actus est magis determinatus in bonitate, & malitia, quam habitus: siquidem habitus, est fit determinatus ad malum, relinquit potentiam indifferentem ad bonum, & malum, cum habitibus utamur, dum volumus; fecus verò actus, qui tollit à potentia omnem indifferenciam: ergo si habitus excedit simpliciter potentiam in bonitate, vel malitia, etiam actus excedit habitum. Tum etiam: Nam etiam actus proximè subijcitur regulis morum, quam habitus: quia actus ratione sui subijcitur, & habitus præcisè quatenus inclinatur ad actum: ergo. ¶ Accedit, quod pro actibus homo puniatur, vel premiatur, fecus verò pro habitibus, puniatur, vel premiatur ratione malitiæ, vel bonitatis: ergo actus excedit habitum in bonitate, vel malitia.

45 Probatur alia ratione D. Thomæ, quæ videtur in præfenti: Nam finis est potior ijs, quæ sunt ad finem; sed actus est finis habitus: ergo excedit illum simpliciter in bonitate, & malitia. Minor constat: nam habitus est propter actum suum, iuxta illud Philos. 2. de Cælo cap. 3. *Unumquodque, quorum est opus, gratia operis.* Maior verò probatur: tum quia id, ad quod aliquid ordinatur, perfectius est, quam id quod ordinatur ad ipsum, cum totum suum esse habeat per ordinem ad ipsum, & propter quod unumquodque tale, & illud magis; sed de ratione finis est, quod ad ipsum ordinatur ea, quæ sunt ad finem, vt ex se liquet: ergo finis est potior his, quæ sunt ad finem.

46 Godoy verò, quamvis conveniat in assertionem cum communi consensu Theologorum, hæc rationem limitat ad genus morale, vt videri potest disp. 10. num. 20. ¶ Sed contra est. Nam est manifestum perire principium: nam cur finis in genere moris debet esse potior ijs, quæ sunt ad finem; & non in genere physico? Nam propterea est in genere moris, quia ea, quæ sunt ad finem, ordinantur ad ipsum, & sunt propter illum; sed etiam quæ sunt ad finem in genere physico, ordinantur ad ipsum, & sunt propter illum: ergo vel finis in genere moris non est potior ijs, quæ sunt ad finem, vel debet etiam esse potior in genere physico. Adde: Quod aliqua exempla, quibus in decursu huius disputationis movetur Godoy ad hanc limitationem, adhuc non convi-

§. II.

Prima obieſtio principalis.

47 PRO opposita ſententia nullus Author expreſſe refertur. Eſt tamen contra noſtram aſſertionem duplex ſatis gravis obieſtio, cuius ſolutio haud parum conducit ad alias materias. Obijcies ergo primò: nam omnis cauſa efficiens, ſi eſt principalis, debet excedere, vel ſaltem adæquare ſuum effectum; ſed habitus eſt cauſa principalis actus: ergo debet excedere, vel adæquare illum. Minor probatur tum in habitu bono: ſiquidem per actum ſecundum bonum homo meretur, ideoque debet ſecundum omnem illam expreſſionem, qua eſt meritorius, eſſe voluntarius; ſed actus, ſecundum illam rationem qua eſt voluntarius, petit procedere à voluntate principaliter vt informata per habitum: ergo habitus eſt cauſa principalis actus. Tum etiam in habitu malo: nam excuſus ille, quem actus diceret ſupra habitum, debet reduci in aliquam cauſam principalem; nequit alia aſſignari præter potentiam cum habitu: ergo idem quod prius.

Confirmatur: Potentia peccandi in genere mali excedit ſuum actum: ergo etiam habitus. Patet conſequentia: quia ſimilis ratio militat in habitu, ac in potentia. Antecedens probatur: tum quia prima cauſa in aliquo genere debet excedere omnia, qua in illo genere continentur; ſed in genere mali moralis potentia peccandi, ſaltem radicalis, eſt prima cauſa: ergo excedit actum in genere mali. *Tum etiam:* Quia prima cauſa in aliquo genere eſt etiam in illo vltimus finis; ſed finis eſt potior ijs, qua ſunt ad finem: ergo excedit actum in genere mali.

48 Obieſtioni reſpondet Godoy num. 27. maiorem eſſe veram de cauſa efficienti quoad ſuum effectum primarium, ſecus verò quoad omnem effectum ſecundarium. Quam ſolutionem antea tradiderunt Curiel, Zunel, N. Cornexo, & alij.

Sed hæc ſolutio rejicitur primò. Nam habitus concurrat perſe primò in moralitatem, vel ſaltem in entitatem actus vt fundantem moralitatem, ſecus verò in ipſam entitatem actus ſecundum ſe, vt ex profeſſo probavimus traſt. præced. dub. 3. ergo habitus vel non eſt cauſa principalis bonitatis, & malitiæ; vel iuxta hanc ſolutionem adæquat in bonitate, & malitia actum. ¶ Secundo: Quia calor tantum ſecundario producit ſubſtantiam ignis; & tamen, quia eſt imperfectior illa, nequit principaliter producere ignis ſubſtantiam, vt lætè probant N. Complut. abbrev. in Phyſica diſp. 10. quaſt. 3. art. 14. ergo ſimiliter, ſi actus excedit habitum in

bonitate, & malitia, nequit in illum reduci tantquam in cauſam principalem. Conſequentia à paritate conſtat ex generali illo principio, *Nemo dat, quod non habet.* ¶ Tertio: Nam effectus, qui ita eſt ſecundarius in executione, vt ſimul ſit primarius in intentione, ſeu finis ſui principij, nequit ab illo produci principaliter; ſed moralitas actus reſpectu habitus eſt huiusmodi: ergo. ¶ Nec valet recurſus ad finem effectum. Quia in eo ſtat tota vis noſtre impugnationis, nempe quòd ſit reſpectu habitus verus finis cuius gratia, & ſit effectus illius in genere cauſæ principalis; cum debeat eſſe perfectior.

49 Unde, hæc ſolutio cum alijs reſiſta, reſpondetur ab obieſtione concedendo maiorem; & negando minorem, ſi accipiatur actus ſecundum expreſſionem vltimæ actualitatis. Duplex enim formalitas, ſeu expreſſio in actu (ſicut in habitu) diſtinguenda eſt: alia eſt tendentia poſſitiva ad obiectum; & in hac habitus, & actus conveniunt, & propterea habitus eſt cauſa non ſolum principalis, ſed etiam vniuoca actus ſecundum hanc expreſſionem. Altera eſt expreſſio actus ſecundi, ſeu vltimæ actualitatis, cui correſpondet in habitu alia, prout dicitur modum permanentiæ. Et ſecundum hanc actus eſt perfectior habitu, & nequit in illum tantquam in cauſam principalem reduci, ſed in aliam ſuperiorem; ſicut nec poteſt habitus ſecundum expreſſionem inſinuatam reduci in actum velut in cauſam principalem, ſed in aliam ſuperiorem.

Ad primam probationem, qua determinatur ad actum bonum, reſpondetur, quòd vltima actualitas illius debet reduci velut in cauſam principalem in Deum, & in principium creatum velut in cauſam instrumentalem. ¶ Nec ob eſt contra hoc, quòd homo per illam formalitatem meretur. Nam ad hoc ſufficit, quòd actus ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſeu primam illam expreſſionem ſit voluntarius abſolute & ſimpliciter, & ſecundum alteram expreſſionem, qua reducitur in Deum, ſit voluntarius ex ſuppoſitione, quatenus identiſicatur cum priori. Sicut ſufficit, ad hoc vt intellectio dicatur vitalis adæquate, quòd intellectus moveatur per eam ſecundum tendentiam poſitivam ad obiectum, cum qua identiſicatur expreſſio vltimæ actualitatis, qua reducitur vniue in Deum tantquam in cauſam principalem.

50 Secunda probatio, qua determinatur ad actum malum, eſt ſatis difficilis, ſed revera æque vrget in potentia, vt ex ſe liquet. Reſpondetur ergo, quòd eadem ſpecificè malitia eſt in habitu, & in actu malo ex parte reſti, toto excuſſu ſe tenente ex parte entitarum. Nam malitia tam habitus, quam actus ſolum conſiſtit in tendentia ad obiectum diſſonum rationi, qua eadem eſt in habitu, & in actu: & propterea tota malitia actus ſufficienter poteſt reduci in

habitum velut in cauſam principalem, quia quoad rectum non excedit habitum in ratione expreſſa malitiæ. Nihilominus actus dicendus eſt peior habitu ex duplici capite. Primò: quia actus quoad ſuam entitatem eſt perfectior habitu, & ex genere deformitas aliqua dicitur maior, quando inſicit perfectius ſubiectum. Quia ratione macula olei v. g. reputatur maior in veſte pretioſa, quam in rudi ſago, iuxta illud D. Thom. lib. 5. de Regim. Princip. cap. 64. *Macula eſt turpior in veſte alba;* quia licet macula ex parte ſua in recto ſit eadem in vtraque, in veſte pretioſa magis diſſonat. Eodem ergo modo actus ex ſe eſt perfectior habitu quoad entitatem, acceditque ex parte ſubſtrati magis ad regulas morum, & propterea macula eadem ex parte reſti magis diſſonat in illo, quam in habitu.

Secundò: Quia licet tota malitia ſit in habitu ſicut in actu, aliter, tamen & aliter: nam in habitu non explicat totam ſuam vim, nec eſt in eo totaliter, ſicut eſt in actu, propter incapacitatem habitus, & capacitatem actus. Et hoc ſufficit, tum vt actus abſolute & ſimpliciter ſit peior habitu: tum vt tota malitia actus poſſit in habitum reduci: quia ex vna parte talis eſt effectus formalis alicuius formæ, qualis eſt capacitas in ſubiecto ad recipiendam talem formam; & ex alia ad cauſalitatem effectus tantum attenditur præcontingentia effectus ſecundum ſuam realitatem in cauſa: Et hinc proſequitur, quòd obiectum ſenſibile, quia ſecundum ſe non poteſt producere ſpeciem in ſenſu, vbi tribuit totam ſuam denominationem, neque poteſt illum producere in aère, vbi illam non tribuit propter ſuam incapacitatem; & certè, quia eadem forma eſt in aère, & in ſenſu, ſi poſſet ſpeciem producere in aère, etiam poſſet illum producere in ſenſu. Ex qua ſolutione, & doctrina colligitur, quòd totus excuſſus inter actum malum, & habitum ex parte reſti ſolum eſt in entitate actus, & hic vniue reducitur in Deum vt in cauſam principalem: licet actus abſolute ſit, & denominetur peior habitu propter præſatas rationes.

51 Solùm ſuperèſt explicare: an eadem forma bonitatis quoad rectum ſit in habitu, & in actu bono; ſicut eadem forma malitiæ eſt in actu, & in habitu malo: & an bonitas actus poſſit reduci in habitum bonum, vt in cauſam principalem; ſicut tota malitia actus reducitur in habitum malum? ¶ Ratio dubitandi eſt: quia quoad acceſſum, vel reſeſſum à regulis morum omnimodam paritatem ſervant. Sed dicendum eſt, eſſe diſcrimen valde notabile inter actum bonum, & malum: nam bonitas moralis valde ſimilis eſt bonitati phyſicæ, eo præciſe quia eſt de linea bonitatis: & bonitas phyſica creſcit ex parte reſti ad incrementum actualitatis phyſicæ: & propterea actus eſt perfectior in eſſe entis, quam habitus ratione formæ diſerſe, qua ab entitate

illius non diſtinguitur. Simili ergo modo diſerſa forma quoad rectum reſidet in actu bono, ac in habitu bono: quia bonitas moralis ad ſimilitudinem bonitatis phyſicæ non conſiſtit præciſe in tendentia poſitiva ad obiectum conſonum regulis morum, ſed etiam in tendentia ſpeciali per modum habitus, & per modum actus: quia actualis tendentia bona ſpecialis bonitas eſt. At in actu malo deformitas non deſumitur à maiori actualitate, quia eſt de genere boni; ideoque ſolum conſiſtit in tendentia ſpecifica ad obiectum diſſonum rationi, in qua habitus, & actus conveniunt, & ſolum diſerunt quoad actualitatem, qua eſt de genere entis, & ſubſtratum malitiæ.

52 Ad confirmationem adductam num. 47: Reſpondetur negando antecedens. Ad primam probationem dicitur, quòd licet prima cauſa in genere perfectionis debeat excedere omnia, que ſunt in tali genere, ideoque Deus eſt perfectiſſimus: prima autem cauſa in genere mali non debet eſſe imperfectiſſima, quia non eſt propter ſeipſam, ſed propter defectum in actu: potentia enim peccandi non ſiſtit in ſe, vt ex ſe liquet, ſed ordinatur ad operationem vt deſeſtuofam. Per quod conſtat ad ſecundam probationem.

§. III.

Aliæ obieſtiones.

53 Obijcies ſecundò: Nam ſicut habitus eſt bonus, quia inclinatur in actum bonum, & habitus malus ad actum malum; ita actus eſt bonus, aut malus, quia inclinatur ad obiectum bonum, vel malum: & ſicut habitus eſt propter actum tantquam propter finem; ita actus eſt propter obiectum tantquam propter finem: Et tamen obiectum non excedit in bonitate, aut malitia actum: Ergo nec ex hac ratione poteſt legitime inferri, quòd actus excedit habitum in bonitate, & malitia. Minor cum conſequentia conſtat. Et maior liquet ex eo, quòd obiectum eſt finis cuius gratia immediatus relatè ad actum.

Ad hanc obieſtione reſpondet Godoy num. 26. poſtquam alias ſolutiones (vt illi moris eſt) impugnavit, quòd obiectum ſpecificans, & finalizans actum non petit illum excedere in eſſendo, ſed tantum in ſpecificando: ad eum modum quo ens rationis ſolum excedit actum, quem terminat, in ratione obiecti, ſeu menſuræ extrinſecæ, ſecus verò in eſſendo.

54 Sed hæc ſolutio (præterquamquòd manifeſte petit principium, quia quis poſſet idem dicere de actu comparative ad habitum, & ſic tota doctrina D. Thomæ tradita in hoc articulo corrueret) reſellitur: Nam finis cuius gratia in omni genere eſt appetibilior ijs, qua ſunt ad

finem, vt ex se liquet; sed quod est appetibile, est in se perfectius non solum terminative, sed etiam in essendo: siquidem appetibile coincidit cum bono, seu perfectio: ergo finis cuius gratia est perfectior non solum in specificando, sed etiam in essendo ijs, quæ sunt ad finem: ac proinde obiectum actus moralis vel non est finis actus, vel est perfectius illo etiam in essendo. *Adde:* Nam finis in modo cantandi sibi subordinat ea, quæ sunt ad ipsum; sed imperfectiora subordinantur perfectio, & non è contra, aliàs esset inordinatio, & perversio: ergo idem quod prius. Unde omnis finis in essendo, & non solum in specificando, vel in re, vel in apprehensione debet esse perfectior ijs, quæ sunt ad finem.

Quæ impugnatione etiam refutatur alia solutio, quam tradit ipse Godoy num. 20. ubi concedit fini in genere morali excessum supra ea, quæ sunt ad finem, focus verò in genere physico. Ex dictis, inquam, hæc solutio rejicitur: Tum quia eadem ratio militat in vao, ac in alio genere: & ita ratio D. Thomæ procedit ratione formæ, & non ratione materiæ, vt decebat. *Tum etiam:* Quia ex hac solutione iam sequitur, quod obiectum sit in essendo perfectius actu in genere morali, sicut actus est perfectior habitu in essendo in eodem genere.

55 Quocirca, missa hac solutione: Respondetur cum perdoctis NN. Salmant. in præf. num. 12. & sequentib. negando maiorem, si ly ita accipiatur eodem modo. Etenim obiectum voluntatis, siue sumatur in esse rei seu materialiter, siue sumatur in esse obiecti formaliter, in actu tamen primo, non est finis actus: quia voluntas non intendit illud in seipso, sed vniorem cum eo, quæ consistit in ipso actu. Pro quo notanda est insignis differentia, quæ intercedit inter actionem traſcendentem, & actionem immanentem: potentia enim traſcens, vtpote talis, perse ordinatur ad operationem, sed hæc ad effectum, & propterea effectus est finis illius: vt liquet in potentia generativa, quæ ordinatur ad generationem, & generatio ad substantiam. In potentia tamen immanenti, vt in intellectu, & voluntate, res aliter contingit: nam licet potentia intendatur propter operationem; operatio, vtpote immanens, non intenditur propter terminum: quia potentia solum intendit obiectum intelligere, & amare, non quod res intellecta, seu amata in seipsa sit. Et si voluntas aliquando vult existentiam obiecti, est quasi illud subordinando maiori delectationi. Unde potentia huius generis sinit tanquam in vltima sui perfectione in vniore illius cum subiecto, ad quam ordinantur obiectum cum potentia. Cum quo recte coheret, quod aliquando ob aliquam specialem rationem intellectio, & volitio vltimate ordinantur ab obiecto, nempe quando est excellentissima perfectio, vt Deus, qui hæc ratione est finis omnium.

56 Tota hæc doctrina speciali aliquo titulo vrget in genere morali, quod tanquam à prima radice, vt sic dicamus, dependet à lege. Finis enim legis est, quod operetur iuxta illam, & ne operetur contra eam: ad quod necesse est, vt præscribar materiam, circa quam operetur. Sed reuera ipsum obiectum formaliter non est sub ipsa lege, nec est formaliter morale moralitate scilicet sumpta, sicut nec potentia, sed dicitur tale in esse obiecti, & terminari in signum apertum, quod actus est finis vltimus totius lineæ moralis, & non obiectum. Ex quibus omnibus liquet, quod actus debet excedere in bonitate, vel malitia tam potentiam, & habitum quam obiectum, propter rationem declaratam D. Thomæ: quia nimirum in esse morali est finis omnium.

57 Sed dices: Omnes actus voluntatis sunt propter finem, vt docet Div. Thom. supra quæst. 1. art. 1. sed non sunt propter seipso: ergo sunt propter alium finem, seu obiectum extrinsecum. ¶ Confirmatur: Nam qui intendit aliquam rem, non intendit suam intentionem, sed rem illam, quæ est obiectum eius: ergo hæc est finis.

Ad obiectionem respondetur, aliud esse, quod finis extrinsecus, vt talis, moveat voluntatem ad omnem operationem humanam; aliud quod voluntas sistat in illo, & non in actione. Non potest negari, quod omnis actio humana, ad quam per finem movetur voluntas, ordinatur ad illum, sed præcipue movetur ab ipsa actione, & in ea sistit. Vel dicatur, quod entitas actionis est propter finem, focus verò moralitas: quia si intendit finem, est propter rectitudinem sui ipsius. ¶ Ad confirmationem respondetur, quod qui intendit aliquam rem, præcipue intendit delectationem ex eius consecutione illatam, quæ est quies voluntatis. Vel dicatur, quod potissimè intendit rectitudinem suæ intentionis.

58 Obijcies tertio: sequi ex nostra sententia, & ratione, actum honestum excedere in bonitate morali gratiam habitalem: tum quia proximius accedit ad regulas morum. Tum quia gratia ordinatur ad illum tanquam ad media, sicut ad visionem beatam tanquam ad vltimum finem: Sed hoc est falsum: quia gratia tam in esse entis, quam in esse morali superat omnia entia creata, excepta vniore hypostatice: Ergo. ¶ Uterius sequitur, operationem naturalem superare substantiam, cum hæc sit propter illam, iuxta illud: *Vnumquodque est propter suam operationem.*

Respondeo negando primam sequelam. Quia gratia habitualis est finis vltimatus totius moralitatis, propter quam omnis lex instituta est, nempe ad præcavendam culpam, vel ad eam expellendam ratione illius: neque ipsa ordinatur ad aliquem actum, adhuc ad visionem bea-

Dub. IV. An peccata differant specie secundum obiecta: & an tantum & c. 19
beatam, quia tantum ordinatur ad dandum esse supernaturale. Et propter hanc rationem substantia non ordinatur ad suas operationes. Illud autem axioma intelligendum est de gratia, & substantia prout associata suis proprietatibus, & potentijs, vt alibi diximus.

DUBIUM IV.

An peccata differant specie secundum obiecta:
& an tantum secundum præcepta?

Triplem difficultatem continet titulus propositus. *Prima est:* An peccata distinguantur specie per obiecta formaliter diversa? Quam movemus cum D. Thom. in præf. quæst. 72. art. 1. propter Scotum, asserentem in 2. dist. 37. specificam distinctionem peccatorum desumi ex specifica distinctione rectitudinum, & non ex obiectis quæ connotant. Snum subtilem Doctorem sequuntur plures eius discipuli, & præcipue Magistrus in 2. disp. 6. num. 53. & loco à se citato. *Secunda est:* An, stante eodem motivo, cum diversitate tamen præceptorum penes vnum naturale, & aliud positivum, distinguantur specie? Quam excitamus propter D. Thom. asserentem prædicta quæst. art. 6. ad 2. partem negativam. Et propter Scotum loco supra relato docentem partem affirmativam. Quem sequuntur plures eius discipuli, & Durand. in 4. dist. 25. quæst. 5. num. 9. Navarrus in Summa cap. 11. num. 4. & alij. Ex qua oritur tertiana scilicet peccatum omissionis, & commissionis differant specie, ex hoc precisè capite, quia vnum opponitur directè præcepto simpliciter negativo, & aliud præcepto absolute positivo? Pro quarum luce aliqua notanda sunt, & aliqua supponenda.

§. I.

Adnotationes, & suppositiones.

59 Notandum est primò, idem esse quoad præsens, quod peccata differant specie per ordinem ad obiecta, ac per ordinem ad motiva, de quibus loquitur Div. Thom. in hac quæst. Pro quo sciendum est, motivum peccati esse duplex: aliud extrinsecum, & accidentale, quod solet dici finis operantis: aliud intrinsecum, quod solet appellari finis operis, & coincidit cum obiecto. Inter quæ hoc est discrimen, quod licet vtrumque sufficiat ad conferendum peccato malitiam specie diversam, malitijis tamen ab eis desumptis, & collatis inter se, ea, quæ desumuntur ex motivo operis intrinsecò & coincidente cum obiecto, est essentialis: & ea, quæ desumuntur ex motivo extrinsecò seu operantis, est accidentalis. Omnia constant ex dictis tract. de Bonitat. & malit. disp. 2. dub. 2.

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

Hinc merito omnes Theologi supponunt, peccata habentia obiecta formaliter diversa, vt furtum, & mendacium, etiam distingui specie morali. Difficultas tamen est inter eos, an prædicta distinctio sumenda sit ab ipsis obiectis, vel à rectitudinibus, quibus privant? Et hæc circa primam difficultatem supra positam.

60 Pro secunda notandum est (secundò) quod aliud est loqui de præceptis, dum præcipiunt, aut prohibent actus ex diversis motivis; & aliud, dum præcipiunt, aut prohibent actus ex eodem motivo. Nam si adsunt diversa motiva proxima, & intrinseca perse intenta à præceptis, nulli dubium est, peccata distingui specie morali: & ita effusio sanguinis in loco sacro, quia prohibetur à lege naturali, & ab Ecclesia ex motivo religionis, est in duplici specie peccati. Difficultas tamen est, si vnus & idem actus ex eodem motivo à pluribus legibus prohibeatur, alia divina, & alia naturali, alia civili, & alia ecclesiastica, an habeat duas malitias specie diversas, & in confessione aperendas?

61 Circa tertiam difficultatem notandum est (tertiò) peccatum tam commissionis, quam omissionis posse sumi dupliciter, vel metaphysicè seu logicè, vel purè moraliter. Si primo modo sumantur, peccatum commissionis dicit perse primò malitiam positivam, & ex consequenti privationem rectitudinis sibi debitæ; & peccatum omissionis privationem actus boni præcepti. Et hoc pacto certum est ferè apud omnes, quod distinguantur pluraque specie: siquidem entis, & non entis non est aliquid commune. Si accipiantur posteriori modo, solum important ordinem ad motivum, seu materiam circa quam versantur, necnon appretiationem humanam fundatam in prædicto ordine, seu tendentia. In quo non minus est certum esse specie diversa adhuc moraliter, quoties procedunt ex diversis motivis.

62 Pro quarta luce notandum est quartò, quod licet carentia actus secundum se sumptæ nullum habeat motivum; tamen, vt est omisio peccaminosa, semper respicit aliquod motivum vel interpretative, vel indirectè, & ratione actus qui est causa omittendi. Loquendo ergo de motivo intrinsecò, & essentiali omissionis, semper est aliquid ex obiectis contrarijs virtuti, cuius actus omittitur: vt si omittatur iustus iustitiz, obiectum talis omissionis, seu motivum intrinsecum est obiectum alicuius actus iniustitiz. Et ratio est: quia omisio actus iustitiz essentialiter pertinet ad vitium iniustitiz, opponiturque virtuti iustitiz: ergo motivum essentialia, à quo omisio sumit suam essentialiam, debet esse oppositum iustitiz, & de linea obiecti iniustitiz. ¶ Maxime, quia illud est obiectum primum & essentialia omissionis actus iustitiz, quod essentialiter respicit interpretative omisio actus iustitiz, est oppositum malum iniustitiz: ergo, Maior